

Nr. 2 fehlt!

11. Dez. 1954

Lo

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
MORBIS CASTREN-  
SIBVS

QVAM  
CONSENSV ET AVCTORITATE  
GRATIOSÆ FACVLTA-TIS MEDICÆ  
IN ALMA ET PERANTIQVA HIERANA  
PRAESIDE

DN. D. HERM. PAVLO IVCHIO

SACRI PALATII CAESAR. COMITE  
FACVLT. MED. SENIORE ASSESSORE PRIMAR. ET H. T. DECANO  
PATHOL. ATQVE PRAXEOS PROFESS. PVBL. ORD.  
SERENISS. SAXON. DVC. VINAR. ET GOTH. CONSILIAR. AVL. ET ARCHIATRO  
NEC NON ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. COLLEGA

PATRONO ET PROMOTORE SVO ÆTATEM  
DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS  
ET IMMVNITATIBVS

PVBLICE RITE CAPESSENDIS  
PLACIDÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVEMITTIT  
AVGVSTVS WAGENERVS  
DETMOLDA-LIPPIACVS.

IN AVDITORIO MAIORI COLLEGII MAIORIS  
HOR. CONSV.  
DIE XX. IVNII MDCC XLVII.

ERFORDIÆ  
Typis IO. CHRISTOPH. HERINGII Acad. Typogr.

DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA  
 DE  
 MORBIS CASTREN-  
 SIBVS

CONSENSU ET AUCTORITATE  
 GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
 IN ACADEMIA BERTHOLINIENSIS HELMÆ  
 PUBLICE

DN. D. IRRM. PAULO IACCHIO

MAGISTRO MEDICINÆ  
 ET  
 PHARMACOLOGICÆ  
 FACULTATIS  
 DOCTORI

PRO GRADU DOCTORIS  
 SUMMISSE IN ARTE MEDICÆ HONORIBVS  
 ET PRIVILEGIIS  
 ACADEMICIS  
 AUCTORITATE  
 FACULTATIS  
 MEDICÆ  
 IN ACADEMIA BERTHOLINIENSIS HELMÆ  
 PUBLICE

AVGVSTVS WAGNERVS

IN ACADEMIA MEDICA BERTHOLINIENSIS HELMÆ  
 MDCCCXXXII

L. F. O. D. I. E.  
 Typo G. CHRISTOPHERI HERINGII Lond. Typogr.





## PRÆFATIO.



Inter omnes, qui genus mortalium adfligere solent, morbos, nulli ferociores ac truculentiores deprehenduntur, quam quos variis temporibus, diversa facie indutos epidemice grassari, magnamque subinde stragem edere videmus. Variæ quum hujus rei dentur causæ, potiores nobis videntur, quod ejusmodi adfectiones populariter circumeuntes subtiliori cuidam miasmati, cujus naturam a priori minime cognoscere possumus, tempestatumque insolitis subitisque mutationibus debeantur, pro quarum insigni diversitate ingens quoque hi morbi discrimen recipiunt. Accedit, quod ægritudines epidemice Medicis

sæpius imponant, antequam veram earum indolem ac naturam singulis fere annis toto cœlo discrepantem perspicere possunt; ita, ut quam plurimos prius e medio tollant, quam vera atque genuina eas oppugnandi methodus innotescat. Interim mitiores plerumque hi morbi sunt, ubi subjecta invadunt, quæ suæ spontis sunt, rerumque sic dictarum non naturalium, pharmacorumque salubrium recto usu sibi consulere possunt. Verum enim vero ubi lues ejusmodi epidemicæ urbes obsessas, aut castra, in locis præsertim insalubribus posita, invadunt, ingens sæpe depopulatur exercitus, longèque major hominum numerus morbo quam ensè jugulatur. Ut enim taceamus, belli tempore, quæ ad vitam sustentandam maxime necessaria sunt, sæpius deficere, hincque necessitate cogente victu sordido ac fere inhumano vitam prolongare; (quod non tantum antiquiora, sed & recentissima adhuc obsessarum urbium monumenta testantur,) milites in castris dum ad nutum Ducis bellici vel extremum vitæ periculum, ipsamque mortem intrepido subire animo juramento obstricti sunt, ita

ita sanitatis suæ curam non pro lubitu gerere possunt. Ob has, aliasque rationes in ipsa tractatione exponendas difficile sane est morbis castrensibus, qualescunque hi demum sint, mederi. Operæ hinc pretium nobis fecisse videmur, quod pro themate inaugurali hanc materiam selegimus; præsertim cum istam hac ratione peculiari dissertatione pertractatam esse nobis haud cognitum sit. Faxit supremum Numen, ut qualiscunque hæc opella in sui cedat gloriam, totque miserorum in castris degentium salutem.

§ I.

**D**e morbis castrensibus acturi, ut ordine procedamus, omnemque ambiguitatem evitemus, ante omnia nobis incumbit, ut exponamus, quid per eos intelligi hoc loco velimus. Dicuntur autem hic nobis *morbi castrenses*, qui in castris, aut urbibus ac castris obsidione clausis non sine malignitate ac contagio certis anni temporibus grassari solent; nec alias facile, his saltem symptomatibus stipati, observantur. Non igitur nobis sermo erit de varii generis morbis, qui inter tot homines in castris versantes æque, ac alios ubivis terrarum degentes frequentes ac vulgares sunt; neque morbos militares, quibus milites gregarii extra belli quoque tempus expositi sunt, hisce pa-

ginis recensēbimus (\*); Multo minus externas militum læsiones, aliasque in præsentī curābimus (\*\*).

## §. II.

Constituta sic terminorum significatione, ut in certas classes morbos castrenses dispescamus, opus est. Dividuntur vero nobis isti, uti alias in scholis Medicorum solent morbi, in *chronicos* & *acutos*. Ad chronicos referendæ sunt *febres* intermittentes, inprimis *tertiana biliosa*, quæ primis ætivistis mensibus, hoste licet quiescente, castra perrumpere, magnumque sæpe numerum prostrernere solent. Acutos subdistinguiamus pro temporum, quibus invadere consuecunt, ratione. Aestate scilicet decrescente *febres continuæ ardentes* accedunt, insuetis prorsus stipatæ symptomatibus. Autumno, ubi fructuum horæorum ac fermentescibillum largiori esui indulgent, & aquarum sæpius insalubrium potu sitim restinguunt milites, *dysenteria* perniciosæ atque contagio infestæ plerumque oriuntur. Quando vero castra relinquunt, & in hyberna concedunt, omnium funestissimæ comitantur ægritudines, *febres* scilicet *exanthematicæ* & *petechiales*, imo ipsa subinde *pestis*, quas paucissimi ob internam putredinem latentem, viresque exhaustas effugere solent.

## §. III.

Antequam ad specialem dīctorum morborum re-  
censionem ac considerationem progredimur, genera-  
les

(\*) Egregie nuper de his commentatus est D. Mich. ALBERTI in *Diff. de præservatione morborum militarium*. Halæ 1745. habita.

(\*\*) Consuli de his possunt Ill. HEISTERI Præceptoris olim mei ac Hospitis venerandi *Institutiones Chirurgicæ majores*, quæ jam denuo in Belgio prela exercent.



les prius, unde omnes hæ gravissimæ passiones pro-  
 pullulant, causas paucis inquirere juvabit. Ad castren-  
 ses vero morbos producendos primo facit maxime *fa-*  
*mes*, rerumque ad vitam viresque sustentandas ac re-  
 staurandas necessariorum defectus aut inopia. Quem-  
 admodum enim nimia repletio ac ingluvies ad multas  
 easque gravissimas ægrotudines progignendas aptissi-  
 ma est; ita inedia victusque subtractio æque mole-  
 stos, imo peiores producere valet morbos. Præter  
 molestam nimirum sensationem vita sine alimento-  
 rum successiva ingestione, multo minus sanitas diu  
 illibata subsistere potest. Subtilissima enim ac gelati-  
 nosa sanguinis ac lymphæ pars per poros cutis sen-  
 sim diffatur, & nisi novus ad ejus laticem accedat chy-  
 lus, reliqua portio spissa nimis ac tenax evadit, hinc  
 subtilissima vascula trajicere amplius non valet, sed  
 hinc inde varias obstructions, inflammationes, alia-  
 que quam plurima ingenerare debet mala. Tonus ac  
 motus solidorum præterea sufflaminatur, ita ut noxia  
 intra ipsum corpus genita per congrua emunctoria dif-  
 sipare nequeant. Accedit ingens debilitas, quæ mor-  
 bis variis a levissima causa externa concipiendis prom-  
 ptissima est, ita ut sæpius milites a vulnere leviori & per  
 se non periculoso accepto brevi moriantur.

§. IV.

Illi vero, qui diuturna inedia pressi viribusque  
 valde fracti ac debilitati sunt, hoc sibi dictum putent:  
 ne liberaliori victu iterum consequuto avidius alimen-  
 ta ingurgitent, seque simul & semel repleant, quoniam  
 hæc res periculi plenissima est. Observatione enim  
 frequen-

frequenti constat, plures sibi subita ac nimia repletione mortem inopinam concitasse; quod non tantum militibus famelicis ex castris in hyberna migrantibus, liberaliterque subito pascis, sed etiam civibus obsidione diu fameque pressis ac repente liberatis sæpius contigisse certum est (\*)

## §. V.

Neque minoris efficaciam in producendis morbis castrensis sunt assidue, quibus milites in castris fatigantur, *vigiliae*. Ecquis enim mortalium ignorat, somnum ad vitam sustentandam viresque reparandas summe esse necessarium? Ultra modum contra protractae vigiliae continuo humorum attritu ac calore succum nutritium, liquidumque nervorum e corpore proscribunt, fibrasque exsiccando corpora alias obesa brevi emaciant. A diuturnioribus porro agrypniis ciborum in ventriculo resolutio ac concoctio turbatur ac impeditur; facies praeterea pallet ac decoloratur, oculi fiunt concavi, faciesque luridum ac tristem praebet aspectum (\*\*). Et ex his liquido patet, quantum assidue morbis, quos castra fovent, gignendis vigiliae velificentur. Maxima enim, quae has insequitur, partium internarum debilitas varias humorum stagnationes, imprimis in capite, producit; hinc febres inflammatoriae periculosissimae, phrenitides ac deliria, aliaque gravissima mala oriuntur.

## §. VI.

(\*) Vid. FORESTVS Lib. XVIII. Obs. 2. in schol.

(\*\*) Conf. HIPPOCRATES Lib. de Diet. in acut.

§. VI.

Idem, quod de vigiliis diuturnis diximus, etiam de continuis *fatigationibus*, quæ militibus subeundæ sunt, tenendum erit. Quamvis enim motus moderatus insigne sanitatis præsidium sit, immoderatiorem eo majorem corpori humano adfricare labem observamus. Humores enim laudabiles dissipando vires franguntur ac consumuntur, corpusque ad varii generis morbos concipiendos disponitur. Quid quod, si a fatigationibus ac laboribus calenti corpori, quod frequentissime fieri solet, potus aut aqua gelida magna simul ingeritur copia, internæ viscerum inflammationes ac sphacelationes prono ex hoc fonte fluunt alveo; ut alia innumera, quæ hic commemorari adhuc possent, jam taceamus.

§. VII.

Nec inter morborum castrensiū causas reticenda *inordinata* ac incongrua, quæ in castris & bello viget, *vicius vitæque ratio*. Esculenta enim si consideramus, dummodo semper suppeterent, ita plerumque comparata sunt, ut minus alibilem succum generando ventriculum tantummodo onerent, ejusque vires sensim destruant. Potulenta haud raro sunt aquæ stagnantes, putridæ ac verminosæ. Aër rarissime purus ac serenus in castris observatur, sed magna sub tanta hominum ac pecorum multitudine impuratum, excrementorum & foetidorum vaporum copia & coluvies continuo circumfusum aërem inficiunt & corrumpunt. Variis præterea in regionibus, ubi theatra bellorum nunc & olim constituta sunt, immodicos

B diur.

diurnos æstus nocturna frigora excipere solent; hinc minus tecto corpore sub dio dormientes vel excubantes refrigerio allecti militantes non possunt non sibi magnam corruptionem contrahere, ex quibus graves morbi, & inprimis sic dictus hungaricus postea exsurgunt (\*). Motus præterea & defatigationes sunt nimix. Somnus subinde nullus, sed assiduæ vigiliæ. Excernenda inprimis per cutis spiracula ob causas antea allegatas prorsus interceptantur. Nec animi pathemata in castris prorsus exulant, inprimis iracundia, quando stipendia aut alimenta non ex voto succedunt; imo in multis terror, præsertim meticulosus, ubi arma capeffere debent, & in acie collocantur. Quæ omnia ad inducendos maximos ac perniciosissimos morbos convenientissima sunt.

## §. VIII.

Attamen, quamvis hæ causæ multum valeant ad producendos morbos castris proprios, omnes has tamen longissime vi & efficacia superat *aër vitiosus*, foetidisque varii generis exhalationibus inquinatus; de quo licet §. anteced. pauca delibaverimus, fusius tamen hujus potentiam in morbis his procreandis explicare nostri reputamus officii.

## §. IX.

Disceptarunt olim equidem magna contentione Medici, an & qua ratione aër corpus nostrum, ejusque succos subeat; verum enim vero, postquam machina ista, quam antliam vocant pneumaticam, inventa est, nullum

(\*\*) Vid. D. D. ALBERTI *Diss. de morbo Hægymaz*. Halæ 1716, cacula,

nullum amplius dubium restat, quo modo liquidum hoc purissimum humoribus corporis nostri communicetur. Ut taceamus, quæ experientia suppeditat argumenta, in corporibus scilicet demortuorum vasa sæpius majora sanguinè vacua, hujusque loco aëre turgida reperta fuisse; ope antliæ constat, in omnibus tam esculentis quam potulentis, imo ipsa aqua communi copiosissimum contineri aërem. Hæc igitur quum in alimentum cedunt mortalium, aër simul via regia ad chylum ipsumque sanguinem transit. Præterea varii adhuc dantur meatus, quibus aërem interiora subire posse vero quam simillimum est. Primo enim per poros cuticulares subtilissimas exhalationes, quidni aër? penetrare efficacia balneorum topicorumque remediorum abunde docet. Dein dantur foramina narium, ubi effluvia aëris sese facillime insinuare possunt, cum animadvertamus, ab odoribus gratis vel ingratis motus totius corporis humani sæpius suscitari & supprimi. Nec probabilitate caret, quando affirmamus, aërem in inspiratione vesicularum pulmonalium poris sese insinuare, hacque ratione cum ipso sanguine miseri (\*).

## §. X.

Eviſta, ut arbitramur, nunc veritate, quod aër externus interiora corporis humani subire possit, ac revera subeat; dispiciendum nunc erit, quænam illa sint, quæ aërem alias in se corpus purissimum inficiant atque inquinant. Hic primo se offerunt *exhalationes ex*

B 2

*aquis*

(\*) Conf. D. G. E. BERNERI *Exercitatio de efficacia et usu aëris mechanicæ in corpore humano*, Amstel. 1723. 8.

*aquis stagnantibus* & corruptis intestino motu ac solis calore in aërem emotæ. Ab his enim non modo febres tam intermittentes quam continuas, sed & petechiales, imo ipsam pestem natas esse, historiarum fide digna monumenta passim referunt. Sic in Aegypto nunquam pestis oritur, nisi Nilus nimium increseat, totasque regiones inundet; qua aqua stagnante, totaque paludosa facta, accedentibus ventis australibus & ferventissimo solis æstu putridis exhalationibus aër inquinatur (\*).

## §. XI.

Exhalationes hæ aquarum putridarum ejus sunt indolis, uti omnia putrefacta, scilicet *salino-caustica* & *verminose*. Accurata enim inspectione & examine ejusmodi aquarum institutis ingens in iis insectorum minimorum observatur copia, quæ partim in aërem elata, partim effluviis suis salino-causticis nocent. Eam enim omnium insectorum naturam esse in comperto est, ut copiose sale caustico turgeant, hincque cuti corporis animati applicata vesicas excitent, intra corpus vero sumta virulentas prorsus vires exferant; ubicunque vero hospitentur nocentissima diffundant effluvia: id quod solæ cantharides evincunt, quæ nimirum mense Julio in fraxino & sambuco hispanico, quem Botanici Lilac vocant, commorantes foetidissimo odore sui præsentiam produunt.

## §. XII.

(\*) Uti refert DAPPER in *Descript. Africa* pag. 117. Plura habent PECHLINVS *Obs. XVII.* & COLERVS in *Tr. de morbis castrensis Des. III. Obs. V.* aliique,

## §. XII.

Nec impossibile judicandum, progeniem verminosam in paludibus natam sub minutissimarum muscarum, locustarum, allave forma in aëra efferri, cum notissimum sit, insecta fere omnia innumeris metamorphosis esse obnoxia. Præterea complures observationes docent, iis annis, quibus pestis grassata est, ingentem muscarum aut locustarum copiam in aëre oberrantem visam fuisse (\*). Hinc etiam celeberrimi inducti sunt Prædici, ut ex insectorum in aëre volitantium copia morbos epidemicos malignos certo prædixerint (\*\*).

## §. XIII.

Dici quoque vix potest, quantam stragem vivis ac fanis corporibus afferat, quando post aciem *cadavera* militum occisorum *inhumata* per plures dies jaçant. Hæc enim dum putrescunt, aërem cadaverosis effluviis replent; quæ, dum corpora eorum, qui castra sequuntur, subeunt, varii generis febres putridas, petechiales, ipsamque pestem producant. Cujus rei ploranda in historiis monumenta supersunt.

## §. XIV.

Dari præterea alias adhuc exhalationes in aëre, præter modo memoratas, quis negabit? quum universale sit receptaculum & menstruum, quod ex omnibus corporibus subtiliores particulas solvit, sibi que unit, quæ, quum diversissimæ naturæ sint, per mu-

(\*) Conf. HILDANVS *Cent. IV. Obs. 23.* COLVMELLA *de re rustica Cap. 5. Jo.* DAMASCENVS *Apb. 132.*

(\*\*) v. g. VALLERIOLA *Obs. I. Lib. 2. pag. 95.*

tuum harum conflictum, accedentibus æstu solari, ventis, subtiliorique materia ætheria, variæ tam salutare quam noxiæ emergunt vires, a posteriori magis quam a priori cognoscendæ.

## §. XV.

Quicumque hæc exhalationes aquarum putridarum perniciosissimas corrigere, ærem depurare, morbosque malignos ab ejus impuritate pendentis avertere vult, non citius voti sui compos fiet, quam si aquas stagnantes putridasque *exsiccare* poterit; si vero hoc non possibile; *ignibus* frequenter, præsertim ex lignis bituminosis, hinc inde accensis, optime insectorum copiam profligare, ærem purificare; sicque morborum castrensis fomitem præcidere poterit (\*). Occisa vero cadavera cito citius terræ profundissime mandare e re erit.

## §. XVI.

Expensis jam potioribus, quæ morbos castrenses prognerare solent, causis; ad ipsos nos convertimus, singulorum genium, symptomata medelamque curate circumspiciendo. Ut igitur ordini supra nobis præscripto satisfaciamus, a *febris* intermittentibus, quæ plerumque *tertiana biliosa* esse solent, initium faciamus. Ingruunt hæc febres maxime prima æstate, anomalæ sunt & irregulares, & vagum atque incertum typum servant, facile inter se mutabiles, & ut plurimum insuetis gravibusque symptomatibus stipantur; Contagio

(\*) Quod jam HIPPOCRATES Medicinæ Parens passim in scriptis suis agnovit.



giosæ præterea observantur, nec periculi prorsus expertes.

§. XVII.

*Symptomata*, pro diversitate subjectorum tamen diversa, hæc potissimum sunt: Plurimi per superiora æque ac inferiora enormes experiuntur biliosas & pituitosas alvi dejectiones; alii die intercalari continuo cum ingenti virium jactura sudant; alii in ipsa febre caloris frigorisque sensum simul percipiunt; accedunt in plerisque deliria. Anxius & compressorius e regione ventriculi, capitis vero, lumborum pedumque gravativus urget dolor. Interim pro ætatis, temperamenti ac naturæ magis vel minus robustæ discrimine mitiora aut graviora hæc solent esse accidentia.

§. XVIII.

*Subjecla*, quæ his febribus potissimum obnoxia, sunt, qui constitutionem cholericam atque strictiorem corporis habitum habent. Hi enim accidentibus causis externis, prava scilicet victus ratione, aëris vicissitudinibus, animi perversis motibus, aliisque, facillime ejusmodi febres concipiunt, graviusque nunquam non luunt; imo, si perversa medicatione tractantur, aut vitia sub ipso morbo committunt diætetica, haud raro accidit, ut malo, quod alias sanari potuisset, demum succumbant.

§. XIX.

Quum *sedes* harum febrium prima sit regio, quæ humore vitioso virulentæ indolis ac bile corrupta scattet; quæque universum nervorum ac musculorum systema in motus inordinatos febriles abripiunt; nil prius

prius Medico castrensi esse debet, quam ut hanc in primis viis nidulantem saburram commodissima educat via; quo, sublata causa, ipse morbus facilius tolli queat. Commendamus hunc in finem iis, qui robustioris naturæ sunt, militibus lene vomitorium, maxime, si mox in principio morbi adhibeatur; quando vero vel natura imbecilles sunt, aut diurnitate morbi jam viribus exhausti, tunc minus ejusmodi remedium convenit, sed ejus loco laxans ex manna cum cremore tartari, aut rhabarbaro cum passulis dare expediet.

## §. XX.

Mitigatis hac ratione symptomatibus, tuto tempore a febris vacuo ad istam compefcentia adpropriata & *specifica* sic dicta remedia progredi possumus. Cujus generis variæ dantur compositiones, e quibus singularem laudem meretur, quæ ex cortice chinæ, cascarillæ, antimonio diaphoretico & nitro, vel in forma pulveris, vel cum julepo rosarum & sirupo acetositis citri in electuarii consistencia exhibetur. Non tamen negligenda debita vivendi ratio, quæ potissimum in eo consistit, ut ægrotantes ab omnibus cibis abstineant, potumque tenuissimum adhibeant, cujus generis decoctum ex radice scorzonæræ & rasura cornu cervi, adjectis citri taleolis, si copia ejus suppetit, esse potest, vel ejus loco aqua cum frusto panis decocta. Sanitate vero recuperata, ut recidivam arceamus, serio militibus inculcandum, ne adpetitui statim indulgeant, omniaque pro lubitu ingerant, sed modice vivant; nec, si possibile, in locis humilibus, udis ac paludosis somnum capiant; æris vero injurias, quantum licet, evitent,

evitent, aut saltem corpus has subeuntes probe tegant ac custodiant, animique pathematibus haud indulgeant. Hac ratione optime febres ejusmodi rebelles castrenses tolli atque averti posse, certo confidimus.

§. XXI.

Succedunt his æstate adulta in castris *febres continua ardentes*, quæ virium plenariam dejectionem, vigiliis & anorexiam junctas habent, contagio inficiunt, vitæque ægrotantium insidiantur. Symptomata hisce febribus familiaria sunt sequentia fere: Qui iis correpturi sunt, antequam dejiciuntur, per aliquot dies lassitudinem totius corporis, ac gravativum corporis artuumque dolorem perferunt; his accedunt demum virium prostratio, appetitus dejectus, animus subinde deficiens, nausea & conatus in nonnullis ad vomendum, cephalalgia, somnusque turbulentus, alvo officii sui simul obliviscente: Post aliquot dies horripilatio ac frigus denique ingruit, omniaque jam dicta ingravescunt accidentia, quæ præcordiorum anxietatibus, internorum ardore, faucium ariditate, deliriis atque anhelitu difficili mirum in modum augentur.

§. XXII.

Quod ad *prognosin* adinet, dum periculo non vacent hæ febres, salutis indicium præbent, quando circa dies criticos sic dictos, qui sunt septimus, undecimus, decimus quartus, &c. excretiones antea suppressæ liberalius succedunt, & vel sudor tepidus per aliquot dies manat, vel alvus sponte fluit; pulsu simul contracto & duro in molliorem mutato. Ubi vero ægroti non sentiunt, borborygmi in imo ventre sentiuntur,

C

tur, singultus accedit, fauces aphthis obsidentur, convulsiones præterea & animi defectiones cum extrematum frigore, sudoreque frigido largissimo observantur, mortem in propinquo esse certo prædicere possumus.

## §. XXIII.

Si ullus datur morbus, qui Medicis castrensibus multum facessit negotii, certe febris hæc est continua ardens. Quemadmodum enim ejus præcipua caussa in cuticulari excretionem suppressa sita est, (unde quoque evenit, ut in *Austria*, *Pannonia* atque *Italia* militantibus, ubi interdiu æstus, noctu vero frigus intensum regnat, frequentissime accidant,) ita, quia hæc in castris profus non, vel difficulter admodum restitui atque in ordinem redigi potest, faustus hujus morbi eventus plus naturæ ægrotantis bonitati ac robori, quam arti medentis tribuendus est. Quoniam vero ejusmodi miferos plane deferere minime fas est, natura utique arte juvanda erit. Primum itaque, quod a Medico hic requiritur castrensi, est, ut plenariam sanguinis & humorum dissolutionem ac in putredinem pronam corruptionem impediatur; quod optime perficitur acidis quibuscumque potui ordinario instillatis. Optima, quæ commendentur, faciliusque parabilia sunt acetum vini simplex & spiritus vitrioli, quæ debita proportione aquæ puræ vel potui tenuissimo instillata æstum simul temperant, sitim sedant putredinique resistunt. Dein excretionem suppressæ, ut, quantum possibile est, promoveantur, imprimis quæ per cutem & alvum succedunt, quia his feliciter criticis temporibus terminantur

tur, opus est. Ad transpirationem secundandam bezoardica tam fixa quam volatilia, quæ materies suppeditat medica, justo tempore ac dosi exhibita juvant; modo regimen diaphoreticum, quod maximi hic sane momenti, in castris observari posset. Ad alvum molliendam & aperiendam enemata ex herbis domesticis & vulgaribus, aut leniora laxantia, minime vero validiora serviunt. Habent præterea nonnulli remedia, quæ specifica in hoc morbo debellando virtute pollere adfirmant (\*), quorum efficaciam, quia nobis experiari haud licuit, Medicis castrensibus ulteriori observationi ea commendamus.

§. XXIV.

Supereft, ut de *dieta* eorum, qui cum his febribus conflictantur, pauca addamus. Caveant vero omnium maxime ægotantes, ne quocunque morbi tempore ventriculum cibis, inprimis solidioribus, ut carnibus, ovis ac pinguibus onerent; ob virium enim summam jacturam aliter fieri non potest, quin in maximum hoc cedat ipsis detrimentum, cruditates magis ingenerando, materiamque & fomitem morbi augendo. Nec desunt exempla eorum, qui sanitati jam restituti visi, plus ciborum, quam subigere ventriculus potuit ingerendo, ilico præcordiorum anxietates, inquietudinem, virium prostrationem, ipsamque mortem sibi concitarunt. Potus sit sufficiens, tenuissimus ac acidiusculus, uti supra jam meminimus. Situs quoque erectus fe-

C 2

bribus

(\*) Sic nonnulli decoctum ononidis flore albo, quam & restam bovis vocant, totius ex vino pro specifico laudant. Conf. D. ALBERTI *Disf. supra cit. de morbo bagymaz.*

bribus his adfectis interdicens, quia ob virium summum defectum facillime lipothymias incurrunt. Animus denique ab adfectibus liber & tranquillus servetur, nec anxio terrore mortisque metu commoveatur, quia hisce pathematibus agitati rarius evadunt, sed plerumque mortem, quam formidant, citius oppetere coguntur.

## §. XXV.

Præterlapsa sic inter varias dimicantium ærumnas æstate, autumnoque accedente, mensibus nimirum Augusto & Septembri novum plerumque ingruit morbi genus, *dysenterie castrensis* nomine notum. Consistit hæc in motu intestinorum præter naturam aucto, a fordibus ac humoribus causticis in tunicis eorum hærentibus, hasque exulcerantibus, adest hinc creber ad alvum deponendam stimulus, & ipsa frequens sæcum mucosarum ac biliosarum plus minus sanguine tinctarum excretio, summis torminibus, febrilibusque junctis commotionibus. Adpetitus præterea perit omnis, summa adest inquietudo, somnus dolore agris eripitur, viresque mirum in modum projiciuntur.

## §. XXVI.

*Subiecta* atque *causas* gravissimi hujus morbi si respicimus, eos præ aliis ferocitatem ejus experiri certum est, qui sanguine humoribusque abundant, qui bilem copiosam & acriorem alunt, & qui ventriculi insigni quadam imbecillitate laborant, & quod primarium est, qui inordinata ac incongrua, quod militibus admodum solenne, usi antea fuerunt diæta, fructibusque horæis, dulcibus, facile fermentescibilibus, præcipue immaturis

ris largius sese pascuerunt; præsertim si calefactum interdiu corpus per noctes frigidiori exponere auræ haud verentur. Et hæ rationes sunt, quæ dysenterias malignas ac perniciosas in castris degentibus levissimo negotio ingenerant. A quibus tamen peculiare tempestates, earumque subitæ vicissitudines, & miasmata maligna, tam quæ cum aëre intra corpus hauriuntur, quam quæ verminosæ prosapiæ cum fructibus ac ole-ribus in cibis adsumuntur, minime excludenda sunt.

§. XXVII.

Medicum quum nihil magis nobilitet, quam prudens de eventu morbi iudicium, quod græci *prognosis* dicunt, istud quoque hic loci de dysentericæ castrensis decursu interponere conveniet. Felix vero ejus decursus, spesque salutis in hoc morbo unice a naturæ robore ac vigore pendet; at ubi corpus imbecille, cachecticum, scorbuticum, phthisicum aut ab aliis morbis prægressis fractum ac debilitatum occupat, nil boni plerumque portendit. Nec periculo vacat, ubi verminosa colluvies intestinorum canalem obsidet. Et si vomitus, septique transversi subsultus accedunt, intestinorum ipsiusque ventriculi inflammationem haud obscure produunt. Nec minus infausi ominis est, ubi excrementa, quæ dejiciuntur, viridi aut atro colore tincta adparent, aut teterrime olentia cum carunculis prodeunt; ulcus enim intestinorum latitare certum hoc est indicium. Si quoque enemata injicienda mox relabuntur, aut anus adeo fortiter clausa est, ut nec fistulam clysmaticam admittat, conclamatum plerumque de ægro est. Nec quicquam boni sperandum, si pulsus debilior, externa frigi-

da, interiora urentia, aut sensu omni destituta, doloribus simul evanescentibus, mentis emotio, faucesque aphthis obsessæ sunt. Ceterum hoc quoque monendum, modo dysenteriam hanc, uti alias, intra paucos dies necare, modo ultra quadraginta dies protrahi, & vel in mortem, vel in alios graves morbos, vel denique in dudum desideratam salutem terminari.

§. XXVIII.

Medicatio hujus morbi ut ex voto perficiatur, primo omnium, cui hæc cura incumbit, circumspicere debet, an saburram in primis viis hospitantem per superiora, an vero per inferiora eliminare expediat. Si prius indicatur, a commissis scilicet antea in diætâ erroribus, fructuum ingluvie, nausæa & conatu vomendi, optime vomitus radice hypocacoannæ promovetur; si vero in intestinis magis nidulatur materia acris, laxans rhabarbarinum hic quasi specificum est, quia non tantum sordes educit, sed & vim roborantem & tonicam postea exferit. Ejecta vero hac ratione materia acri crassiore, motus intestinorum convulsivi una cum doloribus atrocissimis sistendi ac sopiendi congruis sunt remediis. Hunc in finem leniora adstringentia una cum mitioribus anodynis refracta dosi adhibenda sunt. Commendamus huic scopo bolum rubram vulgarem cum pauxillo massæ pilularum de styrace vel de cynoglossa ter de die ad cultri cuspidem cum potu calido adsumendam. Topica quoque non sine fructu hic adhibentur, quale est linimentum quod ex oleo liliorum alborum cocto, menthæ vero, absinthii & nucis moschatæ destillatis adjecta camphora  
com.



componitur; hoc enim toti abdomini frequentius inunctum egregie ferocissimos dolores ac tormina lenit atque compescit. Symptomatibus hac ratione profligatis, atonia atque debilitas intestinorum a motibus vehementioribus remediis depellenda, tonusque eorum ac vigor restituendus erit. Nullum vero huic intentioni adcommodatius ac præstantius datur remedium ipso cortice cascarillæ, qui sub quavis forma exhibitus optime roborat, intestinaque debilitata firmat; cuius etiam locum cortex peruvianus, aut essentia corticum aurantium, cum essentia gentianæ rubræ & succini supplere possunt, quorum virtus adhuc intenditur, si externe spiritu vini vulgari abdomen sæpius inungitur.

§. XXIX.

Parum vero his omnibus Medicus castrensis efficiet, nisi adcuratissima *vite regiminisque ratio* accedat. Inprimis aër, quantum in castris fieri potest, seligendus serenus ac temperatus, nec ulla excessiva qualitate præditus. Quemadmodum enim frigidior justo corpori sano & valenti, multo magis vero morbis debilitato maxime noxius est, ita calidior similiter insigne hoc morbo adfectis adfert detrimentum; motus enim jam præter naturam auctos ac dolores graviores reddit. Tranquillitati quoque studeant ægrotantes, ne irrequie malum suum exacerbent. Potus minime sit frigidus, sed calidus aut saltem tepidus. Omne quoque pro isto interdicitur cerevisiæ genus, nihilque nisi decocta aut infusa lenientia, aut serum lactis, si haberi potest, concedantur. Cibi, si eorum aliqualis adpetentia,

tia, sint molles & concoctu faciles; inprimis conveniunt oryza & vitelli ovorum cum jusculo pingui sumta. Hisce omnibus adcurate observatis, eos, qui naturæ robustioris sunt, desperatum hunc alias morbum evadere, pristinamque sanitatem recuperare posse, minime desperandum.

## §. XXX.

Nec castra dum relinquunt, atque in hyberna migrant, tot superatis molestiis ac laboribus, mortis fauces sese effugisse sibi persuadeant milites; agmina enim morborum sævissimorum presso eos pede sequuntur, qui antea memoratos omnes truculentia ac ferocia longissime superant. Horum e numero sunt febres acutissimæ, italico nomine in scholis Medicorum *petechiales* dictæ, quoniam maculæ moribus pulicum (qui italico sermone *pedecbio* vocantur) similes harum febrium signum sunt pathognomonicum. Sunt vero hæ febres prorsus malignæ ac contagiosæ, capiti inprimis nervisque insensibilissimæ, cum maculis diversi coloris, a succorum vitalium plenaria corruptione, eamque insequente interna putredine ortæ, hincque ut plurimum lethales.

## §. XXXI.

*Symptomata* hisce febribus familiaria sunt: Ægri a prima statim morbi invasione de summa virium dejectione ac debilitate conqueruntur, ut pedibus ne quidem sine animi defectione insistere queant. Capitis vehementissimus urget dolor, animusque statim omnem restitutionis spem abjicit; vigiliæ adsunt assidue, adpetitus nullus; facies pallet, pulsus est languidus,

dus, parvus & inæqualis, corporis inquieta jactatio; pectus fere opprimitur, musculique ac tendines motu quodam insolito contrahuntur ac leviter convelluntur. Plures nihil mali persentiunt, solumque languorem somnique defectum conqueruntur. Urina primum tenuis, nec sanorum absimilis est. Quarto demum die vel sequentibus ad septimum usque in conspectum prodeunt maculæ potissimum in dorso ac lumbis, vario colore ac diversa copia; quæ tamen nullum ut plurimum levamen miseris adferunt.

## §. XXXII.

Quæ aliis singulæ esse solent petechiarum causæ, eæ omnes apud illos, qui in castris degunt, fere conspiciunt ac concurrunt. Milites enim primo humido calidi, postea vero humido-frigidi aëris injurias subire coguntur; in locis humidis ac paludosis sub dio plerumque dormiunt; accedunt tot hominum ac pecorum excrementa, quorum foetorem venti ob circumvallationes ductas diffilare ac dissipare nequeunt; diæta in castris incongrua; cibi sæpius corrupti aut semicocti; aquas ingurgitant milites paludosas, stagnantes ac verminosas; fameque tandem sæpius & vigiliis corporis vigorem ac robur destruunt. Has ob causas, & quando ex tot laboribus in hybernis toti quieti sese dant, corpusque debile cibis gravant, corruptio interna tandem clam serpit ac incrementa sumit, donec tandem in funestum & capitalem hunc morbum erumpat.

## §. XXXIII.

*Prognosis* raro fausta felixque esse in hoc morbo affolet. Maculæ enim dictæ secus ad alia exanthemata

D.

minus

minus salutem portendunt, sed quo copiosiores, eo majorem putredinem indicant, eoque certius perimunt, præsertim quando lividi, plumbei aut prorsus atrii coloris existunt. Raro quoque naturæ benignitate ac robore accidit, ut vel sudoribus largis, vel alvi fluxu sanitas recuperetur. Plurimi ob sphacelofam internam corruptionem pereunt. Mortis vero instantis signa sunt; Sitis aut nulla, aut inexplebilis, lingua arida, nigricans, fauces inflammatae, ac deglutitio difficilis; respiratio anhelosa, pectorisque oppressio post petechiarum eruptionem perdurans, aut incrementa sumens, delirium aliaque symptomata post sudorem aut alvi fluxum graviora, urina sine sedimento turbida. Denique, si oculi obscurantur, mens prorsus delira fit, ægrique floccos legunt, excrementa sine sensu prodeunt, sudor frigidus ac convulsiones accedunt, res ægrorum plane conclamatae sunt.

## §. XXXIV.

Omnia, quæ Medicus castrensis in desperato hoc morbo facere potest, in eo consistunt, ut primo statim in principio ad calorem extinguendum & putredinem arcendam acida vel in potu, vel in mixturis diffusis ex aquis & pulveribus diaphoreticis fixis ægrotantibus offerat; cui scopo acetum vini simplex aut spiritus vitrioli vel clystus antimonii inservire possunt. Cane vero pejus & angue in principio calidiora sudorifera & bezoardica volatilia una cum regimine calido fugienda; hæc enim putredinem cum calore augment, viriumque majus causantur dispendium. Expediit deinde laticis salivalis fluxum liberaliorem idoneis promovere remediis,

diis, quia hoc inter præstantissima præsidia in hoc morbo dudum numerarunt summi Practici; quorum observatione constat, nullum interiisse, cui sputum & saliva promptius effluerunt.

## §. XXXV.

Fracta denique morbi vehementia nihil salutaris deprehensum, quam *alvi fluxus* liberior, cujus ope refractarius hic morbus sæpius feliciter solvitur ac terminatur. Hinc, ut artifex in hoc salutari negotio naturam justo tempore (circa dies scilicet criticos,) secundet necesse est. Abstinentum vero hic ab omnibus drasticis validioribusque purgantibus, ne follis fennæ quidem exceptis. Convenientissimum hic alvum solvens est manna, præsertim si cum cremore tartari justa dosi exhibeatur. Nec minoris usus tamarindorum pulpa cum rhabarbaro oblata. Hac enim ratione subinde adhuc morbo tam truculento obex ponitur, misereque decumbentes pristino sensim restituuntur vigori.

## §. XXXVI.

Nec tamen milites sine insigni circa victus rationem cautela hoc loco dimittendi sunt; scilicet, ut sibi omni studio caveant, ne vel accedente, vel declinante, vel finito ac superato feliciter hoc morbo ventriculum debilem cibus, inprimis duriusculis aut carne aggravent; hinc enim sæpius evenit, ut in portu jam constituti in funestam recidivam relabantur, morboque, quem jam effugisse censebant, maximo suo damno, postea succumbere, cymbaque Charontis in æterna commeari hyberna teneantur.

## §. XXXVII.

Accedimus ultimo tandem ad funestissimum omnium maximeque terribilem morbum, qui sicuti nulli loco, ita nec castris quoque parcit, sed ea omnium frequentissime infestat; *pestem* scilicet ipsam; Est vero hæc febris acutissima ex miasmate venenato cum variis mercibus inprimis lana, vestimentis, pellibus aliunde, locis præsertim orientem spectantibus adportato, prognata; ex quo contagio susceptum venenum nisi citissime per bubones vel carbunculos naturæ ope foras projiciatur, mortem celerrimam infert.

## §. XXXVIII.

*Signa diagnostica & peculiaris hujus morbi symptomata* sunt: capitis mox sub initium gravedo, somnolentia atque acerbissimus dolor, sensuum stupor, omniumque rerum obliviscentia, inquietudo, vigiliæ ac virium plenaria prostratio. Ciborum porro fastidium, anxietas præcordiorum maxima, cardialgia atque conatus ad vomendum, imo vomitus ipse. Hæc excipiunt horror, pulsus languidus, parvus & frequens cum animi deliquiis. Intra tertium vel quartum diem erumpere solent tumores in externo corporis ambitu; qui duplicis sunt generis, alii bubones vocantur, & glandulosa maxime occupant loca; alii carbunculi, græcis anthraces dicuntur, prioribusque vehementiores sunt, nec ulli corporis parti parcere solent (\*).

## §. XXXIX.

Quoniam miasma pestilentielle celerrime per ingentem sæpius exercitum propagatur, ut sani ab isto præ-

---

(\*) Conf. CELSVS *Lib. V, Cap. XXIX.*

præferentur, prius curare debet Medicus castrensis, antequam curam infectorum suscipiat. Celsus equidem aliique jam Medicorum *fugam* ceu optimum præservativum commendarunt, verum hæc militibus sub capitis poena interdicta est. Alia igitur milites a peste immunes præstandi via quærenda erit. Frequenti autem experientia compertum habemus, *acidis* magnam vim inesse miasma istud volatile figendi, atque ejus virulentiam infringendi. Jubeat itaque Medicus castrensis, ut milites frequenter salivam exspuant, acetique vini simplici os colluant, illudque naribus attrahant, imo intus subinde cochlear ejus sumere valde expedit. Sic Medici, qui tempore pestis vixerunt, hac ratione aut succo citri sibi prospexerunt; & de turcis, quorum in metropoli pestis fere endemia, referunt scriptores, quod sæviente illa succo limonum acido liberalius utantur (\*). Inter præstantissima quoque remedia prophylactica *foniculi* cruribus aut brachiis inusti numerandi, quorum virtutem atque efficaciam non tantum passim laudarunt Medici inter peste adfectos versati (\*\*), sed & illos in lue pestifera, quæ olim huic civitati magnam cladem intulit, maximi fuisse usus, certo scimus.

§. XL.

Ipsam curationem pestis quod attinet, caveant sibi Medici ab alexipharmacis, imprimis radicibus hoc nomine celebratis, quæ oleo volatili turgent, multo magis adhuc a spiritibus volatilibus oleosis; hæc enim

D 3

calorem

(\*) COLE *Lib. de morb. acut. pag. 88.*

(\*\*) v. g. HILDANVS *Obs. Chirurg. Cent. IV. Obs. XXIII.*

calorem augent, facileque miasma pestiferum cum impetu in ipsum sanguinem partesque nervosas agunt. Melius sibi ægrisque prospiciunt, qui hæc cum acidis mista propinant, sic enim efficacissime contra pestem operantur (\*). Acida enim uti in præservatione, ita & in curatione utramque absolvunt paginam. Maximi sane Medici ingenue professi sunt, se sine acido vitriolico pestem debellare non posse (\*\*). Junghenda his terrea ac bezoardica fixa, qualia sunt antimonium diaphoreticum, bezoardicum minerale, lapides cancrorum, cornu cerviustum & philosophice præparatum, terra sigillata, boli, aliaque.

## §. XLI.

Quoniam vero in atroci hoc morbo vires quam maxime pessundantur, harum jacturam inprimis respicere debet Medicus, easque congruis remediis conservare ac restaurare; quod præter animi hilaritatem ac fiduciam in ægrotis excitandam, congruis remediis fieri debet. Parari in hunc finem aqua ex herbis ac floribus fragrantibus & analeptis cum vino rhenano destillationis ope potest, quæ cum sirupo acetositate citri & spiritu salis acidiuscula reddenda; hæc enim egregie vires deperditas reficit, & pesti refragatur. Vel hujus loco aqua prophylactica Sylvii, vel alius compositionis reficiens medicamen exhiberi potest.

## §. XLII.

Quoniam etiam miasma contagiosum cum saliva plerumque in ore miscetur, atque per œsophagum  
in

(\*) Vid. *Joh. Gout. BOETTICHERI Explicatio morborum malignorum.*

(\*\*) MINDERERVS *de peste Cap. XV.*



in ventriculum descendit, ii minime errant Medici, qui *emetica* leniora in ipsa peste commendare solent; at hoc probe tenendum circa horum usum, ut statim in principio, simulac quis ex symptomatibus supra recensitis sentit se peste adfectum esse, exhibeantur; alias si nimis fero, dum miasma jam ad sanguinem partesque nervosas penetravit, viresque jam nimium prostratae sunt, adhibentur, parum proficient, & plus damni quam holumenti aegrotorum rebus afferent. Hinc circa horum usum Medicis illud cito serio tenendum. Ob eandem quoque causam *nicotiane fumus* militibus per se gratus a multis in peste commendatur.

§. XLIII.

*Bubones* quod attinet, eos minime negligere debet Medicus, sed chirurgis castrensibus injungere, quomodo eos tractare conveniat. Quando enim tardius prodeunt, epispasticis, cucurbitulis, imo vesicatoriis eos prolificere necesse est; quando vero justo erumpunt tempore suppuratio cito promovenda cataplasmate, quod ex ficibus, radice liliorum alborum, cepis sub cineribus coctis, adjectis farina lini, melle & croco paratur, & calide bubonibus imponitur. Suppuratione perfecta scalpello aperiendi, balsamoque Arcaei, vel alio convenienti vulnerario purificandi & denique consolidandi sunt; ita tamen, ut non nimis cito sanentur, sed aliquandiu aperti servantur, ut materia morbifica ac pestifera omnis elabi possit. *Ambraces* vero sive carbunculi longe alia ratione tractandi sunt; his enim, quia jam corruptum humorem continent, minus suppurationis admovere convenit, sed potius, eschara ut decidat, congruis remediis efficiendum; postea aegyptiacum unguen-

unguentum aut fuscum Wurzii cum melle rosato mixtum imponendum. Ubi autem corruptio sphaelosa latius serpit, scarificatione prius profunde satis instituta, locus liquore putredini potenter resistente diligenter fovendus est, qui ex spiritu vini camphorato crocato, adjecto nitro, componitur. Sicque pestem, truculentum alias malum, sanari adhuc in robustioribus posse speramus.

## §. XLIV.

Diæta lue pestifera adfectorum ejusmodi sit, ut tam nimius calor quam frigus evitentur. Omnia e contra sint temperata. Potus sit dilutior, at sufficiens. *Venus* in primis tempore pestis maximo studio vitanda. Observarunt enim viri peritissimi, virus pestilentielle haud effugisse, qui veneri eo tempore litarint (\*). Inter cibos maxime *caro suilla* fugienda, utpote quæ summis viris præsentissimum in peste venenum audit (\*\*). Atque hæc in præsentis de morbis castrensis observationes speciminis loco sufficiant. Novimus plura illis deesse (\*\*\*). Interim hæc, quæ delibavimus B. L. æqui bonique consulat. Deo vero præpotenti pro præstito in hoc labore auxilio sit laus, honor & gloria in sempiterna sæcula.

F I N I S.

---

(\*) Vid. BOETTICHERI *Explicatio morborum malignorum*.

(\*\*) *Eman. TIMONI* fato infelici functo in *Transact. angl. Num. 364*, qui oleum naphthæ ad drachmas duas ex quovis vehiculo sumtum pro summo in peste remedio habet. *Frid. HOFFMANNO Diff. de peste*, quæ existat *Decad. III. Diff. 8*.

(\*\*\*) Sic agi etiam hoc loco potuisset de *scorbuto* castris maxime familiari, ac contagioso, quo Regis Sueciæ exercitus, qui Augustam Vindelicorum subegit, annis 1634 & 1635 pessime laboravit, & qui multis funestus fuit; nonnullisque aliis morbis; verum temporis penuria hac vice plura adde prohibuit.

---


01 A 6597

ULB Halle

3

003 092 429







DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
**MORBIS CASTREN-  
SIBVS**

QVAM  
SENSV ET AVCTORITATE  
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ  
IN ALMA ET PERANTIQVA HIERANA  
PRAESIDE

**DN. D. HERM. PAVLO IVCHIO**

SACRI PALATII CAESAR. COMITE  
FACVLT. MED. SENIORE ASSESSORE PRIMAR. ET H. T. DECANO  
PATHOL. ATQVE PRAXEOS PROFESS. PVBL. ORD.  
SERENISS. SAXON. DVC. VINAR. ET GOTH. CONSILIAR. AVL. ET ARCHIATRO  
NEC NON ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. COLLEGA

**PATRONO ET PROMOTORE SVO ÆTATEM  
DEVENERANDO**

**PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMSIQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS  
ET IMMVNITATIBVS**

PVBLICE RITE CAPESSENDIS  
PLACIDÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVEMITTIT  
**AVGVSTVS WAGENERVS**  
DETMOLDA-LIPPIACVS.

IN AVDITORIO MAIORI COLLEGII MAIORIS  
HOR. CONSV.  
DIE XX. IVNII M DCC XLVII.

ERFORDIÆ  
Typis IO. CHRISTOPH. HERINGII Acad. Typogr.

